

- Ad 4. Est infinitus. Resp. non capitur secundum totalitatem, capitur secundum quædam attributa.
- Ad 5. Est vno inter cognoscentem, & cognoscibile. Resp. est vno per cognitionem per similitudinem educitum à creaturis, sed perfectior creaturis, & hoc sufficit.
- Ad 6. Intelligens in formatu intellectione. Deus non in format. Resp. in format specie abstracta à creatura, quæ dicitur esse imperfectior Deo, sed nobilior cæteris creaturis.
- Ad 7. De creaturis quod ducunt in errorem. Resp. creaturæ dupliciter considerantur, primo modo ut principium, & terminus intellectus in quo Intellectus terminatur, & conqueiscit, & sic dicimus esse. Verum quod in errorem ducunt, vt si quis in adoratione Imaginum firmetur in pictura, ipse errat, & idolatrat.
- 2. Modo vt creaturæ dicuntur medium, ad cognoscendum Deum in quo conqueiscit mens nostra, & hoc modo non errat intellectus: sic Imagines sunt medium, ad cognitionem Sanctarum Animarum, & hoc modo dicimus quod Salomon loquitur primo modo, & non secundo modo.
- Ad illud quod sunt tenebræ, & vestigium. Resp. sunt per comparationem ad Deum, non tamen simpliciter, ideo hoc faciunt, ad cognitionem.
- Ad illud Dionysij. Non potest mens nostra dicere, nec intelligere. Resp. Perfectè, non negat quin imperfectè. Hæc pro præsentillectione. In frequenti tangam secundam partem Magistri, in qua agit de Trinitate, & probat quomodo in creaturis perlucet Trinitatis vestigium.

LECTIO DECIMA QUARTA

In qua ostenditur quod in rebus creatis apparet Trinitas diuina, & præcipue in Anima nostra rationali. Ideo per tractatur quid sit imago: similitudo vestigium, & postea probatur cum Michaelē nostro quod detur. Ideo vt morem meum seruem sex proponam.

- 1. Est circa intentionem.
- 2. Circa nomina.
- 3. Circa conclusionem.
- 4. Circa probationem.
- 5. Circa difficultates &
- 6. Circa solutiones.

Quo ad primum de Trinitate. Sciendum est quod Magister duo potissima proposuit in hac Distinctione. Alterum penes unitatem essentia diuina. Alterum penes Trinitatem personarum. Postquam, ergo multas auctoritatibus ostenderit unitatem diuinam, ex rebus ipsis. Nunc ex creaturis pariter ostendit Trinitatem personarum. Quo ad secundum sciendum est quod Magister dicit in creaturis esse vestigium, & similitudinem Trinitatis. Et ne laboremus in æquiuoco declaro istos terminos quid similitudo, & vestigium. Nam multifariam dicuntur apud Theologos.

Vestigium qd.

Vestigium inquit S. Thomas est impressio derelicta ex transitu alicuius, representans aliquid imperfectè, & confusè, quia sub ratione speciei. Vestigium dicitur tribus modis.

- 1. Modo vestigium dicitur diuina, & occulta providentia, de qua Iob. Forisitan vestigia Dei comprehendes, id est, Occulta Dei iudicia apprehendere non poteris.
- 2. Modo vestigium indicat omnia Redemptoris nostri opera, & exempla secundum illud Petri. Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, id est, opera vitam, & exempla eius.

Iob. II.

1. Pet. 2.

3. Modo sumitur vestigium pro radio creaturæ, qui imperfectè, & confusè ducit nos in Dei Optimi Maximi cognitionem. 1. Deum dicitur docere Deum. 3. ducit in Deum. Hinc quanto magis vna creatura dicitur esse nobilior tanto magis in cognitionem inducit. Ideo magis Planta, quam lapis, & magis: homo quam animal ducit in Dei notitiam. Hæc quo ad vestigium. Sic accipitur similitudo multifariam.

- Nam alia est similitudo.
- Æquiparantia.
- Alia Æqualitatis.
- Alia Attingentia.
- Alia Imitationis.
- Alia Proportionalis.
- Alia Proportionalitatis.

Similitudo æquiparantia dicitur esse inter duo diuersarum complexionum, sed eiusdem virtutis, & eiusdem operationis. Hoc modo duo duces, ut Cesar, & Pompeius fuerunt similes natura nam habent eandem virtutem, & perfectionē licet complexio, sit alia, & alia. Similiæ quali est multorum quorum natura, & virtus eadem. Vt imperfonis diuinis.

Similitudo multifariam.

Similitudo Attingentia, est eorum qui, ad scopum, & finem accedunt. Vt laculatores sceloporum, & sagittarum. Similitudo imitacionis est eorum, quæ in essentia, & vi sunt dissimilia, sed in operatione, quæ sunt assimilari primo, & supremo. Hoc modo secundæ intelligentiæ sunt similes superiæ Intelligentiæ quia lationes suas faciunt propter primam causam. Sic Christiani sunt similes Christo, quia imitantur illum.

Similitudo proportionalis dicitur esse respectu eorum, quæ vnicam participant naturam, sed non eodem modo. Vt inter patrem, & filium, & spiritum sanctum. Sic inter patrem, & filium, in humana natura.

Similitudo Proportionalitatis est eorum, quæ habent naturam, & essentiam diuersam, sed effectum consimilem vnius forme per comparationem, & conuenientiam. Hoc modo aqua in Baptismo, & Gratia diuina similia secundum proportionalitatem, cum gratia. Nam sicut aqua abluit carnem, sic gratia mundat animam & sicut oleum lenit exterius signata lenit interius. Hæc quo ad terminos.

Quo ad conclusionem. Ponitur hæc conclusio. In creaturis est vestigium, & similitudo Trinitatis, id est, cognitio quanos possumus cognoscere Deum Trinum, & Vnum. Probatur multipliciter.

- 1. Modo ex Augustino. 6. de Trini. cap. 10. nam in vna quaque re sunt tria.
- Vnitas. } Vnitas in corporibus. } Vnitas arguit patrem. } Vnus est pater.
- Species & } Species in figuris & } Species filium & } Speciosus est filius, &
- Ordo, ergo Trinitas. } Ordo in ponderibus. } Ordo Spiritum Sanctum. } Ordinatus est amor, ergo Trinitas.

Tria in vna quaque re.

2. Modo ex eodem Augustino lib. de vera religione, cap. 7. probat Trinitatem in ordine productionum, D. S. Augustinus. In productione creationis dantur tria.